



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. XIX. Quibus rebus cordis Puritatis & Innocentia servetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

tollant. Adeoque quisquis eas maximè adeptus est, quantum potest, diligentissimè eas occultat & tegit.

*Quibus rebus Cordis Puritas  
& Innocentia servetur.*

## CAPUT XIX.

**D**Electabatur interim Desiderius hujus virginis sermonibus, dixitque illi? **DESID.** Dic mihi, oro, quibus rebus gemæ istæ potissimum servantur. **SIMPL.** Unum inter cætera novitiis & juvenibus præcipuè necessarium est, idemque senibus & provecæ ætatis non est incommodum, videlicet Fugere, portasque & ostia seris obfirmare. Enimverò si quis multorum velit uti consuetudine & familiaritate, multa que audire & aspicere, is ægrè has poterit servare gemmas, idque hac ex causa, quòd anima nostra ceu spe-

culum sit, quaslibet rerum ipsi pro-  
positarum imagines & simulacra re-  
cipiens, itémque velut cera signum  
sive sigillum ipsi impressum retinens,  
atque etiam instar vasis picei, quod  
fieri non potest, quin ingentes ex  
pice maculas ipsi inhærentes, con-  
trahat. *DESID.* Sed quinam fuge-  
re is potest, aut portas occludere,  
qui in aliqua religiosa vivit sodalita-  
te? Siquidem crebrò huc atque illuc  
pergere habet: & Præfectus vel Su-  
perior modò hæc, modò illa impe-  
rat, cogiturque aliis atque aliis col-  
loqui: imò verò etiam cum omni-  
bus miscere interim colloquia neces-  
se est, communemque & affabilem  
se præbere. Nam alioqui singula-  
ris habebitur, singularitas autem,  
etiamsi sub quodam sanctitatis & vir-  
tutis prætextu suscipiatur, odibilis  
est, deserique ac vitari debet. *SIMPL.*  
Planè sic est, ut ais, obedientiæ &  
amoris causâ multa nos dicere, au-  
dire, cernere oportere, quæ si quis  
pro-

propria ductus voluntate facere vellet, erraret haud dubiè & perperam ageret. Cùm autem obedientia & charitas ad ea nos hortantur & commonefaciunt, (modo ne simus negligentes, faciamusque, quod in nobis est) periculum abest, ne hasce amittamus gemmas. **DESID.** Quid agendum est, ut faciamus, quod in nobis est? **SIMPL.** Necessarium quidem est, ut quisquis obedientiæ, vel amoris, aut veræ necessitatis causâ, ob Puritatis & Innocentiæ servandas ac tuendas gemmas, secum manere, & animo collectus esse, atque ab aliis in silentio seorsum degere non permittitur, ne sibi commitem adhibeat, meoque fretus sodalitis, etiamsi totum cogatur peragrare orbem, non est, quòd se has amissurum gemmas vereatur. **DESID.** Obsecro, per similitudines quasdam isthac planius explica. Ita enim simplices ea melius capient, ac tenacius retinebunt. **SIMPL.** Nihil

F am-

ambigas, Cordis Puritatem & Innocentiam (quæ præcipua ad capefendas virtutes omnes adminicula sunt, quibus etiam compendiosius ad extremam perfectionem, finemque ultimum, nempe DEI Amorem, absolutamque pervenitur charitatem) servare volenti, necessum est, ut fugam arripiat, portasque claudat. Id si facere non licet, me sibi adjungat comitem, atque in illis omnibus, quæ vel videre, vel audire contigerit, me in dextro suo collocet oculo. Atque ubi sinister cupiditatis, vel temerarij ac stolidi Judicij oculus quippiam aspectare molitur, id ipse dextro simplicitatis contueatur oculo: ita secum simplicitate cogitans, sibi que persuadens, quemlibet Marem vel Fœminam, Fratrem aut Sororem, &c. omnipotentis DEI angelum & filium esse, & alia omnia, instrumenta quædam & organa esse, quæ creatorem suum sine intermissione collaudent. Ex-

dem

demque ratione quidquid mali de  
 proximo suo vel audierit, vel per-  
 spexerit, dexter oculus excuset, ac  
 in melius interpretetur: atque de  
 creaturis omnibus, ad quas appeten-  
 das sinister cupiditatis oculus ipsum  
 permoverit ac illexerit, DEUM  
 laudet & benedicat, commemorans  
 secum Creatoris sui pulchritudinem,  
 dulcedinem, bonitatem, aliasque  
 illius virtutes & proprietates, di-  
 censque sibi: Equidem creaturas  
 non alia ratione appetam vel amore  
 prosequar, nisi ut in illis & cum eis  
 DEUM diligam, laudem ac bene-  
 dicam. Similiter in cunctis verbis,  
 factisque suis necessum est, me sibi  
 jungat & societ. DESID. Qua-  
 nam ratione cuncta hominis opera  
 simpliciter fiunt, sive cum simplici-  
 tate conjuncta sunt? SIMPL. Quan-  
 do illius Intentio simplex, pura, &  
 recta est, & quaecunque agit, in se-  
 ipsis alioqui bona, etiam cum omni-  
 bus loci, temporis, personarum,

circumstantiis, iusta rectaque sunt: nec nisi ad laudem & honorem DEI, vel ob propriam aut proximorum, sive animæ, sive corporis salutem, seu virtuti consentaneam utilitatem, vel ob Reipublicæ commodum cuncta facit, jam semper, ubique, & in omnibus cum simplicitate graditur. Is autem revera feliciter & securè graditur, qui hanc sibi perpetuam adhibet & servat comitem Simplicitatem.

*De Paupertate.*

CAPUT XX.

**D**esiderius hujuscemodi Simplicitatis Sermonibus impendit recreatus, cum ei valedixisset, ductus est à sæpè memorata Procuratrice in alterius cujusdam, ex Humilitatis filiabus, virginis cubiculum, cui nomen erat Paupertas. A qua

æque